

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

dendo occupatus est, hic per totum annum nundinas frequentandas, præterdit, quod quia vocatio sua ita exigat, non se concionibus semper vacare posse, affirmat, nisi naufragium victus facere velit.

Tertius, se uxorem duxisse, ait, quam cum liberis alere teneatur, quod si cœlebs viveret, se templum multò diligentius invisere posse, nec dubitat, quin ratione domesticorum sustentandorum, satis excusatus habere possit, juxta illud Pauli, 1. Tim. 5. v. 8.

Hoc quidem coram mundo speciem quandam habet, utrum verò ejusmodi homo coram tribunali Christi calvis hisce excusationibus, consistere possit, cum irreparabili suo damno experietur. Quærite primum regnum Dei, ait Christus, Matth. 6. v. 33. Hæc regula limitari nequit. Anima præstat corpore, & æterna temporalibus, ita præcipua nostra cura sit, ut animæ consulamus, & vitam æternam impetremus. Divitiæ & opes in mundo manent. At bona æterna animam comitantur, qui his studet, optimam partem elegit, quæ non auferretur à nobis, Luc. 10. v. ult.

Nemo nescit, quod in templo non semper versari possimus, ideoque Deus septimum diem sanctificandum ordinavit, ut cultui suo ille consecratur. Exod. 20. v. 8. 9.

Proindè fidelis Christianus ante omnia Sabbathum sanctificare, & illo ipso cultui divino vacare discat. Diebus verò profectis mechanici, & qui manibus suis victum quarunt, sacra inter domesticos partiantur, ut stans temporibus ædibus sacris intersint, ubi auditur vox laudis. Psal. 26. v. 7.

Quod si verò terrenis quis tantum inhæverit, facile animæ jacturam faciet. 1. Tim. 6. v. 10. 11. Matth. 36. v. 26. 1. Joh. 2. v. 17.

## De Secundo.

**P**ergemus nunc ad alteram partem, 2. Cor. 13. v. 14, sive notitiam nostram pertractaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio præsentem:

1. *Tanquam cœna magna preparator.* Qualis hæc cœna sit superius memoratum est, nempe spiritualis, in quâ mera cœlestia fercula apponuntur, quibus ad salutem carere non possumus. Christus cum merito suo sanctissimo, præcipuum obsonium est, cui annexa est gratia Dei, remissio peccatorum, Spiritus Sancti solatium, & vita æterna. Neque enim in alio quoquam salus est. Act. 4. v. 12.

Quis non hic cum Davide exclamaret: Quam pretiosa est misericordia tua Deus? Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Psal. 36. v. 8. 9. 10.

Persis magnum Regium convivium apparentibus, illi, qui admittebantur, totum annum præstolari tenebantur. Sed hic omnia parata sunt! Mensa strata, dapes illatae sunt, crateres repleti, sedilia ordine disposita sunt. Et ut iterum dicam, omnia parata sunt! Omnia parata sunt, pro tentatis propter peccata. Hic enim invenimus agnum Dei, qui portat peccata mundi. Joh. c. 1. v. 29. Omnia parata sunt, pro infirmis in fide; Reperimus enim hic inchoatorem & consummatorem fidei, Hebr. 12. v. 2. in quo omnia possumus, Phil. cap. 4. v. 13. Omnia parata sunt, pro iis, qui cŕiunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth. 5. v. 6.

*Nonne ingens gratia est,* quod Deus tæbera misericordiæ suæ, non modò Judæis, ut in Vet. Test. verum & ethnicis præbuit, & ita ex duobus unum fecit, Ephes. c. 2. v. 14.

*Nonne*

*Nonne ingens gratia est*, quod Deus omnia, quæ necessaria sunt, adeo largiter & affluenter paraverit. Maledictio legis sublata, Gal. 3. v. 13. Chirographum expunctum, Col. 2. v. 14. Mors absorpta in victoriam, 1. Cor. 15. v. 54. Ira Dei pacata, Rom. c. 5. v. 9. Diaboli opera dissoluta, 1. Joh. 3. 8. peccatum obsignatum, iniquitas expiata, & justitia sempiterna adducta est, Dan. c. 9. v. 24.

Sicut igitur præpostera stultitia foret, si quis ad instructissimum epulum accedens, afferret mucidum panem, & caseum rancidum ex inani curâ, ne exsaturari posset: Sic nimis pueriliter & insulsè agunt Pontificii, quando opera sua afferre volunt, quæ tamen in oculis Dei sunt velut pannus menstruæ, Esa. 64. v. 6. quasi Christus cœnam hanc merito suo, non sufficienter instruxisset, nec omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, parasset. Caveamus proinde, ne jacturam cœnæ hujus faciamus. Dominus enim soli sibi vendicat gloriam hanc, quam nulli alii daturus est, Esa. 42. v. 8.

*Nonne ingens gratia*, quòd in cœnâ tot dapium missus nobis apponantur, salutis nostræ convenientes, ut gustare & videre possimus, quam suavis sit Dominus, Psal. 34. v. 9.

Quando corporale aliquod epulum apponatur, acetaria ex lactucâ, aliisque herbis salutiferis confecta, apponuntur. Hic præsto sunt folia de ligno vitæ, Apoc. cap. 2. vers. 7. flos campi, Cant. 2. v. 1. virens germen Davidis, Jer. 33. v. 5. cujus virtute, ossa nostra ex sepulchro velut herba germinabunt, Esa. 66. v. 14. & virebunt, Psal. 92. v. 15.

Onerantur mensæ gallinis, ferinâ, agninâ &c. Hic obvia est cœlestis gallina,

Matth. 23. v. 37. hinnulus cervorum montibus, Cant. cap. 2. vers. 17. agnus immaculatus, & incontaminatus, 1. Petr. 1. vers. 19. qui occisus est ab origine mundi. Apoc. 13. v. 8.

Inferuntur ex melle & saccharo præparata bellaria, quæ multis delectationem afferunt. Hic reperimus edulia, dulciora super mel & favum, Psal. 19. v. 11. videlicet bonum Dei verbum, Hebr. 6. vers. 5. gutturi dulce, Cant. 2. v. 3. si non obiter, sed devotè audiamus, sed meditemur die, ac nocte. Psal. 1. v. 2.

Sæpè fit ut cibi morbum afferant, & mortem in ollâ videamus, sicut filii Prophetarum, 2. Reg. 4. v. 40. Hujusmodi nihil hic metuendum est, sed qui hoc epulum accedet, vitam habebit, & abundantius habebit, Joh. 10. v. 11.

II. *Tanquam multorum invitator*. Vocabulo *multorum* Judæi intelliguntur, quos præ aliis gentibus in peculium elegerat, sicut supra dictum est. Ethnici verò non simpliciter exclusi sunt, sed si mens non lava fuisset ipsis, ejusdem gratiæ participes fieri potuissent, sicut alio tempore probavimus.

In Nov. Test. verò, ubi gratia Dei salutifera multò præclarius omnibus hominibus apparuit, Tit. 3. v. 11. latissimæ fores apertæ sunt, per quas etiam gentiles ingressi, magnificorum beneficiorum Messiæ, quæ in cœnâ hæc exhibentur, participes evaserunt, juxta illud Petri: Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque fœmina: sed omnes unum sunt, in Christo Jesu, Gal. 3. v. 28. Hinc non sequitur, ut nonnulli colligere satagunt: Deus non vocat omnes homines, omni tempore, eod. modo, idèò non

Hh 2 vult

vult omnes salvos fieri. Neutiquam! *Vocatorum crimen est, non vocantis*, ait Chrysofostomus. Quod hodierno die Judæi & Turci, non æque propinqui sint, magnæ huic cœnæ, ac nosmet, id non vocanti Deo: sed vocatis eorum majoribus acceptum ferri debet, qui Evangelium despererunt & repulerunt. Act. 13. v. 46.

Ex his igitur sole meridiano clarius elucet, quod Deus serio agat, cum vocatione hæc, præcipuè, quia servis suis mandat, quod compellere debeant repugnantes, non quidem externâ vi, qualia media Magistratus in promptu habet, & adhiberi potest, sed serio studio & iusto zelo docere, prædicare, increpare, exhortari, sollicitare debent opportunè, importunè, ut si non omnes, tamen omninò aliquos faciant salvos, 2. Cor. 9. v. 22.

Sic de Lotho memoratur quod Angelos compulerit declinare in domum suam, non quidem violentiâ aliquâ: sed precibus & orationibus, Gen. 19. v. 3.

Pari modo Jacob fratrum Esavum compulit, ut susciperet munera ipsi oblata, Gen. 33. 12.

Idem adhuc hodiè ministris ecclesiæ incumbit, ut Paulus jubet, 2. Tim. 4. v. 2.

Quis igitur dubitaret, quin Deus omnes homines salvos velit, cum non modò in apparatu magnæ hujus cœnæ: sed etiam in vocatione invitatorum serio zelo utatur? Ideò certus sis, mi Christiane! quod ab hæc cœnâ nemo exclusus sit, nisi qui se ipsum excludat. Deus cœlestis pater filium suum pro omnibus tradidit, Rom. 8. v. 32. Christus pro omnibus mortuus est, 2. Cor. 5. v. 15. & Spiritus sanctus gratiam hanc in toto orbe divulgat, prædicari jubens, pœnitentiam & remissionem pecca-

torum in omnes gentes. Luc. 24. vers. 47. Ideò Deus extra culpam est, quod tam multi damnantur, sed, ex te perditio tua Israël, Ose. 13. v. 9.

III. *Tanquam severus comminator*. Sic enim concludit: Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

His verbis contemtoribus planè gratiam suam renunciat, quod ab eâ exclusi esse debeant,

1. *In vitâ præsentè*, id quidem impii leviter æstimant, in ore eorum dulce est malum, Hiob. 20. v. 12. & gloriantur in malitiis suis, Jer. 11. v. 15. Sed tandem conscientia stimulos sentientes, sine solatio miseri pereunt. Despererunt enim verbum, quod latificare debebat animam suam, Psal. 94. v. 19. Ideò Paulus ait: Ecce, nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis est. 2. Cor. 6. v. 2. Sicut igitur diem nox tenebrosa excipit, ubi nemo operari potest, Joh. 9. 4. Ita nos pœnitentiam agamus dum dies est, ne tenebræ nos comprehendant, Joh. c. 12. v. 15.

Equidem Deus longanimis & patiens est, Et contemtores ejusmodi aliquamdiu tolerare potest. Sed tandem ascendit furor Dei, & nulla est curatio. 2. Chron. 36. v. 16. Quia vocavi & renuistis, Prov. 1. 24. seqq.

2. *In vitâ sequente*. Quando enim beati manducabunt panem in regno Dei, Luc. cap. 14. vers. 15. Et in sinu Abrahæ refrigerium omnium calamitatum sentient, Luc. cap. 16. v. 26. Illi contra sicut oves in inferno positi erunt, Psal. 49. v. 15. & pœnas dabunt, interitum æternum, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 2. Theff. cap. 1. v. 9.

Quod

Quod à nobis omnibus benignissimus Deus gratiosè avertere velit, per filium suum Jesum Christum, Servatorem nostrum, in Spiritu sancto, laudandus in secula seculorum, Amen!

## Dominica III. post Trinitatis.

*Evangelium Luc 15. v. 1. --- 10.*

### EXORDIUM.

**C**UM David insidias Regis Saulis ef-fugiens, in spelunca Adullam sese abdidisset: convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustiâ constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps, 1. Sam. 22, 2.

*In hac re David Typus Christi fuit.*

Miseri nos homunciones versabamur in angustiis, & oppressi eramus ære alieno. In angustiis, ob multas tribulationes & miseria, quibus à nativitate usque in tumulum subjecti sumus, ita, ut sub hac mole vix respirare possimus, sed potius causam habeamus cum Jobo querendi: Si appenderetur afflictio mea in staterâ, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quàm arena maris, Job. 6. v. 3. variationes enim & exercitus contra nos sunt, Hiob. 30. v. 17.

*Ære alieno verè obstricti sumus*, ob peccata, in quibus concepti & nati sumus, Ps. 51. v. 7. sed & quotidie cumulamus ea, omissione boni & commissione mali, justus enim vel septies in die cadit, Prov. 24. v. 16. Multò magis illi, qui justis sese adnumerare non possunt. Quinimò, nemo in universum est, qui delicta cognoscat, Psal. 19. v. 15. Delinquimus verbis, peccamus operibus, aberramus cogitationibus; culpam contrahimus dormiendo & vigilando, & vo-

lentibus facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21. hinc tandem debitum oritur, quod gravat nos, Psal. 38. v. 5. cui non sumus solvendo, Matth. 18. v. 25.

Sicut igitur ad Davidem confluxerunt omnes, qui erant in angustiâ constituti & oppressi ære alieno, & amaro animo: Sic multò magis nos ad filium Davidis, Servatorem nostrum Jesum Christum confugiamus, qui venit in mundum, ut foret *Salvator noster*, Jer. 14. v. 8. & *exsolveret*, quod non rapuit, Psal. 69. v. 5. Quod & opere ipso complevit, dum non modò morti pestilentia & lues inferno factus est, Os. 13. vers. 14. sed & peccata nostra pertulit in corpore suo, 1. Petr. 2. vers. 24. Ut ovantes gloriari possimus: Christus donavit nobis omnia delicta, delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, Col. 2. v. 14.

Sed & tertium à nobis fiat, & amaro animo simus oportet, ad instar eorum, qui Davidem accesserunt. Nisi enim doleatur de peccato, sed illudatur illud, Prov. 14. v. 9. & malum manuum dicatur bonum, Mich. 7. vers. 3. malum malo cumulatur. Christus etiam eosdem in gratiam recipere non vult, sed tradet tortoribus, à quibus in carcerem infernalem mittentur, non inde exituri,

Hh 3

donec